615

1530. ni fallor.

Petrus Tomicki Episcopus Cracoviensis.

Stanislao de Rzeczyca Pænitentiario Romano.

142

Venerabilis domine frater in Christo Charissime. etc.

Quod prætermiseramus alijs literis scribere præsentibus a vobis rogamus, ut simul cum Bartholomæo Gandkowski diligenter advertatis, ne quid ex parte intrusorum contra servitores Nostros, quibus est de sacerdotijs Jacobi Schutz provisum isthic attentetur. Cæterum etiam causam Plebanatus in magna Skrzyn opera et patrocinio Vestro, quo ad ejus fieri potest tueamini. Nam dominus Maciejowski in jus quod Stanislaus Podlodowski habuit subrogari debet in præsens tamen per absentiam Podlodowski de constituendis procuratoribus ad cedendum procurare nihil potuit, vestrum tamen erit hæc quæ videbuntur necessaria isthic hoc nomine curare, interea dum aliquis alius Nuntius, qui in urbem iret, se illi offerat, per quem vos instruere in hac causa melius posit. Bene valeatis, satisque felix semper. Datum Cracoviæ. Ect.